

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 393/17/I

BEATISSIME PATER,

Stanislaus Zvolenský, Archiepiscopus Metropolita Bratislaviensis et Praeses Conferentiae Episcoporum Slovachiae, nomine Episcoporum eiusdem Conferentiae, diebus VI et VII Martii MMXVII in Plenaria Sessione congregatorum apud vicum "Čičmany", Nitriensis Dioeceseos, proprios, omnium Episcoporum portionisque Populi Dei suae Curae commissae impensos venerationis et oboedientiae sensus, Sanctitati Tuae ex animo promit et humiliter supplicat ut preces a Corona Divinae Misericordiae nuncupatas devote recitantibus donum Indulgentiae concedatur. Et Deus, etc.

Die III Aprilis MMXVII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi a Sanctissimo Patre Francisco tributarum, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si

- Coronam Divinae Misericordiae, coram SS.mo Eucharistiae Sacramento, publice exposito vel etiam in tabernaculo adservato, in ecclesia aut oratorio intra Slovachiae fines pie recitaverint;


- eiusdem precis recitationi ibidem prolatae, dum a Dioecesano Episcopo vel a Sacerdote determinato ab eo Delegato peragitur, et ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatur, sese pie sociaverint in familia vel in religiosa Comunitate vel in christifidelium Consociatione et generatim cum plures ad aliquem honestum finem conveniunt.


Quod si iidem fideles ob infirmitatem vel aliam legitimam rationem domo exire non poterint, sed Coronam Divinae Misericordiae fiducialiter et animo qui Misericordiam pro se desiderat, et aliis praestare paratus est, recitaverint, *plenariam Indulgentiam* pariter consequentur, suetis sub condicionibus, salvis praescriptis N. XXIV et N. XXV pro "impeditis".

In aliis rerum adiunctis vero *Indulgentia* erit *partialis*.

Praesenti *in perpetuum* valituro, absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma Brevis expeditione.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens